



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Illvstrissimo Domino, D. Ioanni Emmanveli Visensivm Præsvli Amplissimo,
Ac Regis Catholici consiliario prudentissimo Collegivm Conimbricense
Societatis Iesv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)



ILLVSTRISSIMO DOMINO,

D. IOANNI EMMA-
NVELI VISENSIVM PRÆSVLI
AMPLISSIMO, AC REGIS CATHO-
lici consiliario prudentissimo
COLLEGIUM CONIMBRICENSE SOCIETATIS IESV.



ERIVS omnino, quam par erat, Præsul illustrissime, munus hoc, quantum illud est, præstat Societatis nostræ (ac multis etiam nominibus tuæ) Conimbricense Collegium, quod perspecte nouerit, in te vnum maxime conspirare rationes vniuersas, quibus scriptores ad id genus obsequij, erga bene de se merentes permoueri solent; nominis, ac sanguinis plane regij claritudinem, Pontificiæ dignitatis infulas, bonarum literarum culturam, & qui titulos omnes anteuertit, ac pene obruit, admirandum virtutum omnium, quæ Principem virum decorant, concentum. Neque enim humanæ (vt cætera prudens prætermittam) sed diuinæ cuiusdam virtutis esse videtur, modis omnibus præcellentem, vitæ modestiam retinere, non extolli dignitatibus; amicorū (etiam humilium) in excelsis fastigio non pudere. Ob has certe causas agnouit iam olim, dum in viuis esset Pater Frâciscus Soarius, inter primos quosque debitam tibi singularem gratitudinis significationem, insigni quodam sui ingenij opere ostendi oportere: hæc, testor, fuit illius perpetua constansque voluntas, hoc ardens studium, cuius supremis votis minime parentare nefas duximus: præsertim cum neque æquiorē suæ doctrinæ patronum, neque promptiorem laborum nancisci potuerit propugnatorem. Verum quod hoc in genere, debiti officij numeros expleret omnes, Teque dignum munus videretur, nullum succurrebat. Sed ecce nunc è superis vnus quidam (credo neminem nisi Authorem) ad manus, inquit, habes Theologicarum virtutum monumenta, quibus Soarij vota expleas, quæ apud Vicensium Præsulem illustrissimum colloca iure optimo: vt quarum diu, multumque cultor extitit, earum etiam doctrinæ, qua mortalium animi conciliantur, fautor existat. Viderat nimirum Soarius hanc apud nos sui ingenij posthumam prolem, suoque orbatam parente, tuo egere præsidio, & tutela, sub qua inuidorum fortasse telis exposita, tanquam vallo tegeretur. Tamen si enim ille Author esset, quem iam publicus orbis plausus super omnem inuidiam extulerat, feliciorem tamen illam, & ab humana consuetudine longe remotam nactus fortunam, non nisi a te validissimo, sui-que amantissimo defensore, curam hanc potuit exorare. Verum enim vero illa quoque ratio nostrum Collegium perurgebat, vt tuo potissimum nomini opus hoc ascriberetur, quod hinc, si non referendæ gratiæ spes optata, at scintilla aliqua appareret nostri omnium in te animi testandi. In quo etsi exiguum est, quod operæ nostræ acceptum referas, is tamen erat Author, pro quo non infructuose videbimur elaborasse, is tu, Præsul amplissime, cui ante alios Authoris fructus dicari possent. Vale,